

fecte; hic « ambulat confidenter, » id est intrepide, tuto, secure, animose, fidenter. Unde Hebraice est, *ambulans in integritate* (Chaldaeus, qui *ambulavit in perfectione*; Pagninus, *perfecte, ambulavit in spe*). Ratio est, quia innocencia, candor et integritas nihil finet, nullius oculos veretur; sed aperta fronte, vultuque sereno et intrepido, utpote bene sibi conscia, palam, coram deo, Angelis et hominibus incedit: optat enim sua omnibus patere, quia laude digna sunt; nec quidquam agit, cuius eum pudere aut penitere debeat. Nec ergo puniri, nec confundi, nec in fictione et fraude deprehendi metuit. Ita S. Gregorius, III part. *Pastor.* cap. XII: « Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Fiducia quippe, inquit, magnae securitatis, est simplicitas actionis. » Incedit igitur confidenter, id est primo, intrepide; secundo, aperta fronte, et palam, coram omnibus; tertio, fidenter, et, ut vertit Syrus, *in spe*, quia fidei de Dei ope et protectione, quod scilicet Deus ejus innocentiam tutelabit contra omnes hostium calumnias et insidias; dicitque cum Psalmo, *Psal. xxvi, 1*: « Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? » quodque Deus omnia adversa ei in bonum et salutem convertet, juxta illud: « Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, » Rom. viii, 28. Et: « Quis est qui vobis noceat, si homines amulatores fueritis? » I Petri iii, 13. Unde Beda: « Facile, inquit, spernit adversa, qui se per isthuc ad gaudia aeterna venturum sperat, dicens cum Propheta: Dominus defensor vite meae, a quo trepidabo? » Ex adverso, « qui depravat vias suas, » id est, qui prave agit, ac praesertim qui fraudulentor et ficto operatur, « hic manifestus erit; » fictio enim et pravitatis diu latere nequeunt, quin se indicio aliquo prodant et deprehendantur: quare tunc homini pudorem et pavorem, insuper et noxam penamque afferunt. Est hic, uti et in aliis proverbialis, antithesis, sed tecta metalespi, qua consequens ex antecedente, et metonymia, qua effectus ex causa, et vice versa intelligitur. Igitur « manifestus erit opponitur » *confidenter ambulat*, quia prave ambulans, cum metui suae pravitatis et fraudis manifestationem, semper incedit pavidus; postquam vero illa manifestata fuerit, incedit confusus et anxius: cum justus incedat confidens, id est impavidus, liber, intrepidus. « Semper enim praesumit seiva perturbata conscientia, » Sap. xvii. Et, ut ait Job xv, « sonitus terroris semper in auribus ejus, et cum pax sit, ille semper insidias suscipitur. Non credit quod reverti possit de tenebris. » Quocirca vere S. Cyprianus, lib. I epist. 3 ad S. Cornelium Pontificem *De Fraudibus Fortunati*: « Hoc est, ait, frater, vera dementia, non cognoscere et necesse, quod fallacia non diu fallunt. Nox est tam diu, quamdiu elucescit dies; clarificato autem die et sole oborto, luci tenebras et caliginem cedere, et quae grassabantur latrocinia, cessare necesse est (1). »

(1) Hebr. est, qui pervertit vias suas, sciens reddetur,

Moraliter, disce hic quanta sit vis et robor simplicitatis, candoris et innocentiae, utpote quae faciat hominem metus experientem, in periculis factum, in adversitate fidentem, denique casibus, ipsaque morte superiorem et celsiorem. Unde autor Operis Imperfecti apud S. Chrysostomum, hom. 25 in *Matth.*: « Sicut, ait, si brevem scintillam in magnum dejeceris profundum, statim extinxeris: si demum missa conscientiam, extinguatur facile. » Et Plutarchus in *Moral.*: « Ut nepenthes herba, ait, ab Homero praedicata, addita poculis omnem tristitiam d'scutit (unde Graece dicitur *nepenthes*, quasi *vā πῶ* id est sine dolore), ita bona mens insita nobis omnem vite sollicitudinem abolet. » Denique S. Gregorius, lib. XII *Moral.*: « Nil hic est, ait, quod pati ab aliis simplex formidet; habet enim quasi artem quamdam suam simplicitatem, nec suspectus est pati, quod se fecisse non meminit. At contra mens prava semper in laboribus est, quia aut molitur mala, quae inferat; aut metuit, ne sibi haec ab aliis inferantur. »

Exempla sunt in *Vitis Patr.* Abbas Theodor dicebat: « Si caelum terre adhaeret, Theodorum non formidat. » Poposcerat enim precibus a Deo, ut auferret ab eo formidinem. Abbas Sisois orans pro discipulo a demone correpto: a Deo, ait, vis, non vis, non dimitto nisi curaveris eum; et curatus est. Alius senior ingressus speluncam leonis frementis: « Quid angustiaris, ait, o leo? est locus qui capiat te et me; si vero non vis, egredere hinc. » Leo autem non ferens, egressus est inde foras. Sic S. Antonius confidens in Deum, risit omnia demonum spectra, et S. Athanasius omnes Arianorum persecutiones. S. Pachomius fiducia in Deum serpentes calcabat, et crocodilus domabat. Aeneas Sylvius narret Alfonso regem rogatum quisnam foret liber? respondisse:

Sapiens, sibi que imperiosus,  
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent.

Celebre est illud P. Syri: « Nocens precatur, innocens irascitur. » Hinc innocentes symbolum est salamandra in ignibus illa, de quo Poeta:

Ambulat in mediis salamandra illa per ignes;  
Nempe illa manet semper et integritas.

Et echinus in pilam convolutus contra canes, de quo Poeta:

Integritas virtusque suo munimine tuta,  
Non patet adversae morsibus invidia.

Unde pingitur ipsa innocencia intrepida hoc temere modo: « Nil fulgura terrent. »

Fulgura non metuo, pellunt ea germina lauri;  
Fortune insultus despiciat integritas.

sentiet, experietur, scilicet castigationem et poenam. Alii tamen, manifestus erit, seu deprehendetur, haud incommodo: ita post Vulgatum Ewaldus.

Sic S. Petrus innocens, postero die capite plectendus, securus dormiebat in carcere, *Actor. xii*, et Daniel in lacu leonum. « Invicta vis semper sua innocentia est. » Memorabile est quod scribit Orosius, lib. VIII *De Gestis Emmanuelis*, Albuquerqueium proregem Indiae rerum gestarum gloria inelytum, in gravi tempestate arripito puero dixisse: « Hujus innocentiae fretus, confido me Christi benignitate e fluctibus emersurum. » Audit Christus, adfuit et emerit. Tanta est aliena apud Deum innocentia, quanti ergo propria! nimirum « securitatis mater innocentia est. Nam vera innocentia ne quidem inimico nocet. »

10. QUI ANNUIT OCCULO, DABIT DOLOREM: ET STULTUS LABIS VERBERABITUR. — id est punietur, cruciabitur tum in hac vita, tum in futura. Unde Salomonius: « Verberabitur, inquit, id est condemnabitur, propter verba iniqua quae locutus est. » Difficile est videre connexionem prioris partis cum posteriore. Dico breviter, ea necanda esse partim per antithesin hoc modo, q. d. Qui petulantur annuit oculo, dat alii dolorem; at stultus, qui petulantur loquitur, labiis dat sibi ipsi dolorem, quia ab iis, quos verbis lesit, verberabitur. Comparat enim linguam effrenam et petulantem cum oculo effrenato et petulanti; quod hic aliis, ille sibi dolores et plagas conciliat. Partim per similitudinem hoc modo, q. d. Qui annuit oculo, similis est stulto labiis. Sicut enim annuens oculis, sibi aequae ac aliis affert dolorem et plagas, dum ob suos nutus et nictationes plectitur et verberatur: sic pariter et stultus labiis tam sibi quam aliis parit dolores et plagas. Nam sicut alios lingua verberat, sic vicissim ab eis et verbis et plagis castigatur ac verberatur. Igitur sicut vers. 8, stultum labiis opposuit sapienti corde: sic nunc eundem componit et comparat cum annuente oculis; pluribus enim sententiis hic vitium et petulantiam linguae insectatur. Porro, apte comparat stultum labiis annuente oculis, quia stulti, id est impii, seculi, quod palam eloqui non audent, innuunt oculorum nictu; unde ut ipsam labiis inter suos, sic nictibus oculorum apud alios eloquantur; tam ergo oculis quam labiis sermociantur (1).

Porro, annuere oculis solent homines variis de causis. Primo, ex lascivia et libidine; sic enim juvenes puellas ad se pellicunt nictatione oculorum. Primi enim amoris indices et illicites sunt jaetus oculorum. Hi dant dolorem tum marito uxoris, cui annuunt, quia movent ei zelotypiam; tum ipsi uxori, quae ideo a marito vapulat; tum sibi ipsi, quia exponit se periculo, ne a marito velut adultera occidatur. Ita exponit Clemens Alexandrinus, lib. III *Pedagog.*: « Lascivi, ait, as-

(1) Qui nictat oculo, tecte maligne, affert et creat dolorem: animos vulnerat; et stultus labiis, qui temere animi sensus effluit, praecipit ruit. Quod vult scriptor, hoc est, periculosum esse et tecte loqui et temere loqui: quum, prius qui faciat, noceat aliis, qui posterior, ipse nictat.

pectus, et versatilibus, et tanquam conviventibus oculis intueri, nihil est aliud quam oculis machari, cum per oculos cupiditas inerat prima pugnae praesidia. Annuens enim oculo cum dolo, viris congregat merores. Talen utique effeminatum Sardanapalum regem Assyriorum in lecto pedibus sursum sublatis purpuram carpentem, et albuginem oculorum versantem pingunt. Quae haec exerceat mulieres, suo intuitu sui ipsarum lenae sunt. »

Secundo, annunt oculis adulatores, iidem sunt stulti labiis, quia iisdem caduntur. Ita noster Salazar, q. d. Adulator annuendo oculis, et probando villa aliorum, iis, quibus adulatur, dolorem infert, quia causa est, ut ipsi vitia vitios adficiant; ob quae deinde in graves dolores et poenas incurunt: unde idem quasi stultus labiis verberabitur, quia ob eo cui adulatur est, cuique causa fuit dolorum, tandem reportabit plagas et vulnera. Quocirca Plutarchus in *Moral.*: « Ut pictura, ait, est tacita poesis, ita silentio saepe laudat adulator, scilicet vultu, natu et obsequiis. » Et Maximus, *serm. 11*: « Ut corvi, ait, involantes cadaverum oculos effodiunt, sic adulatores suis adulationibus oculis, rationem scilicet et mentem corrumpunt, quia est, id est adulatur, id est adulatur est corvus. Unde illud, *quod est in corvo, id est adulatores incidere*. Hos cavendos monet Ecclesiastes, cap. vii, vers. 6: « Melius est, ait, a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi. » Nam, ut ait S. Augustinus in *Psal. lxx*, « plus persecutur lingua adulatoris, quam gladius persecutoris. » Adulator ergo est similis polypto, ait S. Basilus, hom. *De Legend. libr. Gentil.*: « Nam quod iustum est ait, apud eos qui iusti rationem habent, laudat apud iniquos statim vituperat more polypti, qui colorem terre, quem attingit, reddit. » Vide Plutarchum in *Compar. adulatoris et amici*.

Tertio, annunt oculis irrisores. Hi enim dolorem dant irriso, et saepe sibi ipsis. Qui enim irridunt alios, vicissim irriduntur ab ipsis, et irrisiones suas simili irrisore, aut etiam plagis et verberibus suum irrisore, unde ob labia sua irrisoria verbis et verberibus mulcatur. Ita Abenezra, Beda et Cajetanus. Unde Hebraeus *וְיִצְרֹחַ* proprie significat incidere, incidere, indeque per metaphoram annuere oculis; quia nictans, oculos quasi incidit et palpebras in laa crebra et saepe repetita nictatione, eoque signo videtur pariter incidere honorem illius quem nictando irridit. Ita Maritus in *Lexico*.

Quarto, fures, proditores, latrones alique facinorosi oculis annunt sociis, ut iis secreto innuant modum et tempus perficiendi furii, proditionis, caedis, similisve sceleris, in quod ante occulta federacione conspirant. Ita R. Salomon, R. Levi et Baynus.

Quinto, et maxime apposite, annuntio oculis facti, simulati, dolosi, hypocrite, qui simulat se amicos, et data occasione inimicitiam, quam corde lovent, exerunt, amicumque incautum supplantant. Unde Septuaginta vertunt, qui annuit oculo cum dolo (Syrus, cum fraude), congregat viris tristitias. Sic enim in Scriptura, presertim apud Salomonem, annuere oculis dicuntur dolosi et fraudulenti, ut cap. VI, vers. 42: « Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, etc., pravo corde machinatur malum. » Alludit ad illud Davidis patris sui, Psalm. XXXIV, 19: « Non supergaudeat mihi, qui adversantur mihi inique, qui oderunt me gratis, et annuntio oculis; » quod explicans subdit: « Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, et in iracundia terre loquentes, dolos cogitabant. » Accedit Figurina quæ sic vertit, qui annuit oculis, negotium facesset; stultius autem labiis suis in vario incurrit, id est, inquit Vatablus, qui fucatus est vultumque fingit, graviter ledet; qui autem stulte loquitur, parum ledit, quia stultim deprehenditur.

Denique sic Salomonem interpretatur ejus de more assecla Ecol. cap. XXVI, vers. 23, dicens: « Annuens oculis fabricat iniqua, et nemo cum abjiciet; in conspectu oculorum tuorum concubabit os suum, et super sermones tuos admirabitur; novissime autem pervertet os suum, et in verbis tuis dabit scandalum, » et consequenter Salomonem, ut ait hic Salomon.

Porro Septuaginta pro לִיבֵי יִשְׂרָאֵל, id est verberabitur, legentes יִשְׂרָאֵל, id est pacificabit, vertunt, qui annuit oculo, cum dolo congregat viris tristitias; qui autem arguit cum libertate, pacificat. Septuaginta de more sequitur Syrus, qui, ait, annuit oculo cum fraude, colligit merces; qui manifeste reprehendit, pacem conciliat, q. d. Qui occulte annuens oculo, dolose vitia alterius subsannat, aut ei malum machinatur, hic illum merore afficit, tum quia illum irridet, aut malum molitur, tum quia occulte et dolose id facit; et qui vitia alterius manifeste redarguit, hic pacem conciliat, quia redargutione sua facit, ut corruptus corrigat vitia, quæ erant causa odiorum et litium, itaque redeat pax pristina inter amicos, socios et cives. Aut, ut auctor Catena Græc., q. d. Sapiens per liberam vitiorum increpationem saepe peccatorem ad penitentiam et frugem adducet; ad fraudulentum nihil serit, nisi dolorem et inimicitiam.

11. VENA VITÆ OS JUSTI: ET OS IMPIORUM OPERIT INIQUITATEM. — Aliqui legunt, iniquitas. Unde Syrus, et os impiorum tegit iniquitas; Arabicus, fons vitæ in manus justis, et os impij obturat perniciem. « Venam vitæ » nonnulli accipiunt venam sanguinis; in sanguine enim consistit anima et vita, q. d. Sicut vena jugiter continet sanguinem vitalem, eumque per corpus dispergens illi dat vitam: sic pariter os justis manat verba sanguinea, id est vitalia, quæ vitam animabus audientium afferant.

Verum « vena vitæ » hic vocatur fons vitæ, ut vertunt Septuaginta. Chaldaeus, Aquila, Symmachus, et sic vertit Noster, Psalm. XXXV, 10: « Quoniam apud te est fons vitæ; » jam fons vitæ dicitur, qui jugiter aquas vivas, id est fluidas, limpidas, dulces et salutaris effundit: aquæ enim mortuæ vivis oppositæ vocatur aqua quæta, quæ non fluit, ideoque putant, amare sunt et salsæ, ac noxam afferunt: quales sunt in stagnis et paludibus. Unde et mare Mortuum vocatur lacus Asphaltites, tum quia stagnat, tum quia nec piscem, nec ullum vivens alit. Sensus ergo est, q. d. Os justis est vena et fons vitæ, qui jugiter eructat verba vitalia, quæ scilicet audientibus aspirant vitam gratiæ; docet enim eos recte vivere, ut a Deo vitam beatam et æternam consequantur. E contrario, « os impiorum » in se « operit » et concludit « iniquitatem, » ita ut sicut vena et fons iniquitatis, quæ jugiter ebullit verba iniqua, luxuriosa, detractoria, blasphema, fraudulenta, injusta, impia, quæ audientibus perniciem (!) et mortem afferunt. Unde Hebræa est, os impiorum operit rapinam; Figurina, violentiam; Chaldaeus, injuriam. Ita Aben-Ezra: « Os justis, ait, est tanquam fons vitam afferens iis, qui ab illius ore disciplinam hanerunt. Igitur ab eo vita emanat, cum alios morum institutione conformat. »

Os ergo impiorum est quasi stagnum aquis mortuis, id est rebus verbisque putidis, inhonestis, noxiis et pestiferis, quæ in alios effundit, restagnans; imo os impij est quasi mare Mortuum omnia mortificans, et jugiter sulphureis vaporibus, id est, infernalis concupiscentiis et passionibus, exhalans. Illud ergo operit iniquitatem, vel iniquitas, primo, quia ita plenum est iniquitate, ut ipsa iniquitas quasi exundans restagnet, et operiat os ejus; secundo, quia operit et celat ore iniquitatem, quam machinatur et premit corde; tertio, quia iniquitas, id est iniquitatis poena, in ejus velut auctoris os redit, ipsunquæ confusione et dolore cooperit. Nota, sub ore intelligi et cor. Cor enim proprie est vena et fons vitæ et mortis, id est, sermonum vitalium et lethalium; sed cor ita annexum est ori, et vicissim os cordi, ut unum idemque in homine esse videantur. Accedit Hugo, qui sic exponit, q. d. Os justis est quasi purus fons aque, quia candidè sui cordis sensa promit, nihil fingit, nihil celat; at os impiorum operit et celat iniquitatem, quam corde machinatur, ut suo tempore eam operetur in aliorum perniciem.

Rursum Lyranus hæc adaptat confessioni peccatorum, q. d. Os justis vere penitentis emanant vitales aquas pure et sincere confessionis peccatorum, per quam veniam vitamque gratiæ consequitur; at os impenitentis et impij operit sua scelera, itaque manet in morte et peccato mortali. Fusc et eleganter hæc confessioni accommo-

(4) Quod magis ad Hebræa accedit, scil. vertenda *coraria*, vel *violencia*. Vide supra vers. 6.

dat noster Salazar. Verum hæc arctior est explicatio: Sapiens enim generatim loquitur, magisque agit de verbis salutaribus doctorum, monitorum, confessoriorum, concionatorum, quibus audientes ad virtutem vitamque gratiæ excitent; hi ergo sunt venæ et elices vitales verba in omnes emanantes. Adde, confessionem sacramentalem tempore Salomonis necdum fuisse institutam; ac peccatorem confitentem necdum posse vocari *os justis*, sed penitentis.

Mystice Hugo: Vena vitæ est os justis, id est Christi, inquit, qui est justus antonomastice, quia Sanctus Sanctorum; nam Christi verbo multæ animæ a morte peccati ad vitam gratiæ, ac multa corpora a morte naturæ ad vitam humanam revocata sunt.

Porro Septuaginta vertunt, fons vitæ in manu justis: os autem impij operit perditio; quod noster Salazar fusc et eleganter more suo explicat de elemosyna, q. d. Elemosyna in manu justis est quasi fons vitæ, id est fons vitalis et perennis, qui jugiter fundit, imo eructat aquas beneficentiæ et largitionum; os autem impiorum, id est officium fontis, puta liberalitatis impiorum, operit perditio, puta perditia cupiditatis et avaritiæ, quæ omnia corrådere, nil elargiri volunt. Et sic S. Basiliius hom. In divites avaros, et S. Chrysostomus, hom. 33 ad Populum, docent beneficentiam esse quasi fontem, ex quo jugiter bona et dona omnia scaturiunt, quia quantum superne exhauriunt dando, tantum inferne scaturit recipiendo, ut il in puteis et fontibus. Verum priorem sensum exigunt Hebræa, Chaldaea, Syrus, Aquila, Symmachus et Noster; agit enim hic de ore et verbis, non de manu et elemosyna. Quare Septuaginta ne a textu originali ceterisque interpretibus dissentiant, six exponendi sunt, q. d. Fons vitæ est in manu, id est in potestate, puta in ore justis, quo ad libitum promit verba vitalia. Unde per antithesin ei opponunt: « Os autem impiorum operit perditio, » q. d. Ora autem impiorum jugiter promunt verba perditia, noxia, pestifera; hæc enim, non alia, in se continent, operiunt et contegunt. Unde auctor Catena Græc. sic exponit Septuaginta, q. d. Actiones justis pariunt salutem et vitam æternam; impiorum autem sermones aliud nihil progignunt et promerentur, quam supplicium et pernam: quia enim plerumque actiones fiunt manu, hinc manus significat actiones quaslibet, etiam locutiones, quæ ore fiunt. Ita Salonius.

12. ODIIUM SUSCITAT RIXAS: ET UNIVERSA DELICTA OPERIT CHARITAS. — Arabicus, elemosyna; Septuaginta, odium suscitabit contentionem (Symmachus et Theodotion, pugnas); super omnes autem non contentiones operiet amicitia; Scholiastes, omnes autem injurias facientes operiet amor; S. Athanasius, in Synopsi S. Script. cap. XIV, pro vix, id est contentionem, legit vix, id est victoria; unde et habet, odium excitat victoria (victoria enim ex-

citat emulationem, invidiam et odium. Unde et Arabicus vertit, odium elevat dominium, vel superioritas, vel victoria; omnes vero qui contentiosi non sunt, contegit amicitia. Sed vera lectio Septuaginta est vix, ut patet ex Hebræo, Symmacho, Theodotione et Latina vulgata. Syrus alio abit, odium, ait, excitat judicium, et super omnes in quos operiet confusio; Figurina, odium excitat occasionem contentionum, sed dilectio omnes prevaricationes obtagit; Vatablus, charitas condonat aliis omnia delicta.

Sensus est, q. d. Odium facit ut eo laborans capiet occasionem eripendi eum quem odio prosequitur, cum eoque contendendi et rixandi, etiam ubi nulla est culpa vel delictum. Ad amor et charitas adeo fugit lites et rixas, ut etiam culpas et delicta, quæ rixarum possent esse causa, operiet, celat et abscondat. Unde auctor Catena Græc. exponens versionem Septuaginta, odium, ait, et simulat movent pugnas et contentiones, pacis autem studium general gratiam et amicitiam.

Lyranus hæc arctat ad correptionem: « Sicut, ait, odium per rixam manifestat defectus aliorum, sic charitas celat, nisi quantum correctio fraternæ requirit; » imo et correctio hæc primo secreta faciendâ est, juxta præceptum Christi, Matth. XVII, 15: « Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum. » In qua verba scribens S. Augustinus causam dat: « Nam si solus, ait, nosti, et vis coram omnibus arguere, non es corrector, sed proditor. »

Verum generalis est hæc sententia, nec ad solem correctionem arctanda. Unde S. Petrus cum citans epist. 1, cap. IV, vers. 8, ad omnia charitatis officia eam extendit: « Ante omnia, inquit, mutuum in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. » Et S. Jacobus, cap. V, vers. 20: « Qui converti, inquit, fecerit peccatorem ab errore viae suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. » Vide utrobique dicta. Nam I Petr. IV, ample hæc explicuit, ostendens charitatem operire peccata tam propria quam aliena, tam præterita quam presentia et futura. Quare hic verbum non addam, nec actum agam.

13. IN LABIIS SAPIENTIS INVENTUR SAPIENTIA: ET VIRGA IN DORSO EJUS QUI INDIGET CORDE, — id est insipientis. Hebræa, virga saper cor ejus qui minus est corde. Primo, Septuaginta sic vertunt et explicant, qui ex labiis profert sapientiam, virga percutit virum recordem, q. d. Sapientia invenitur in labiis sapientis; at stultus, quia per eandem videt detegi corrigi que suam stultitiam et vitia, hinc eam horret ut virgam qua flagellatur. Unde aliqui sic vertunt, in labiis sapientis reperitur sapientia, et eadem virga est in corpore ejus qui indiget corde.

Secundo, Baynus, q. d. Si quis querit sapientiam, inveniet eam in labiis sapientis; verum quia insipiens eam sibi non querit, ideoque tan-

dem invenitur in dorso ejus virga, et dabit vazio intellectum ei qui doceri noluisset.

Tertio, Cajetanus, *g. d.* Sapiens sponte ultroque sapientiam proloquitur: at stultus non nisi virga compulsus, ut, nisi flagro eum adegeris, nec micam sapientiae ab ejus ore sis elicitorus.

Quarto, aptius alii, *g. d.* Sapiens sponte libensque sapientiam eructat; at stultus, qui quasi asinus virga impelli debet ad sapientiam, ut scilicet eam non tam doceat, quam discat et agat, ad idipsum adigi debet correptione acricae stimulo sapientis, *g. d.* Sapiens abundat sapientia; at stultus caret sapientia, et abundat insipientia, ideoque indiget virga, ut ea compulsus discat sapere.

Quinto, apposite noster Salazar: In labiis sapientis invenitur sapientia, id est, sapientis sapientiam testantur verba quibus utitur; insipientis vero et exordis stultitiam et fatuitatem, verbera et flagra quibus tunditur; verberum, inquam, vibices, atque plagarum livores, qui impressi remanent. Id sibi voluit illa verba: « Et virga in dorso ejus qui indiget corde; » supple, invenitur, id est, virgae vestigia. Compendio dixerim: Sapientiam intelligentis verba, fatui vero stultitiam verbera testantur.

Sexto, planius et plenius Jansenius: Indicat, inquit, quod per sapientiam fit, ut in labiis sapientis invenitur sapientia, quae sapienter eum loqui multa facit, quod ad ipsius sapientis facit decorem et gloriam. At per insipientiam fit ut in dorso stulti invenitur virga, hoc est, ut propter multa quae insipienter et agit et dicit, graviter ipsum castigari et puniri contingat eum multo ipsius dedecore (1). Significat ergo sapientiam suum possessorem apud homines decorare, insipientiam dedecorare; et quod, sicut in labiis sapientis invenitur decus ejus, ita in dorso stulti dedecus ejus. Haec tres ultimae expositiones genuinae sunt, et eodem fere redeunt. Igitur clara est antithesis, quod sapiens decus sapientiae gerat in ore, stultus dedecus insipientiae portat in dorso, puta vibices flagrorum, quibus adactus est, ut aliquid bene et sapienter agat, discat et dicat. Eandem notat alius et antithesis vocum Hebraicorum *סִפְּתָי* *siphthai*, id est *labia*, וְעַבְרָתוֹ *sebet*, id est virga, *g. d.* Sapiens decus suam gerit in *siphthai*, id est labiis sapientiae; stultus vero suum dedecus et probrium portat in *sebet*, id est, in virga, id est in vibicibus virgae in dorso ejus.

Moraliter, notat Hugo et Salazar sapientiam inveniri in labiis sapientis, quasi thesaurum absconditum in agro. Igitur sicut olim thesaurus quaei solebat indicio carbonum, vel fragmentorum vitri, aut urticarum (haec enim signis olim notabant locum thesauri, quem defodiabant): sic pariter, qui querit sapientiam et sapientem, labia quaedam diligenter vestiget, quae verba incor-

(1) Ita Rosenmüllerus.

rupta praese ferant instar carbonum denigrantia, instar vitri fragminum vulnerantia et sanguinem effundentia, urticarum in morem pungentia et lancinantia. Labia, inquam, vestiget, quae vita carpant, seclera incusent, peccata redarguant, et quae nullis adulationibus emollescant.

Mystice Beda: « Virga in dorso, ait, est vindicta in posterioribus, id est in sequenti vita. Qui ergo non vult virgam portare in dorso, portat in labiis sapientiam, loquatur laudes Christi, et praeccepta deprædicet. »

14. SAPIENTES ABSCONDUNT SCIENTIAM: OS AUTEM STULTI CONFUSIONEM PROXIMUM EST. — Septuaginta, *sapientes occultabant sensum, os autem tementis*, Græce *σφραγίζοντες*, id est præcipitis, prociacis, oppropinquat contritioni. Pro confusioni hebraice est *מַחֲרִיב* *mechitta*, id est contritio, fractura, sive corporis, sive animi, qualis est animi consternatio, confusio. Unde Syrus vertit, *os festinum proximum effractioni*; Chaldaeus, *os stultorum consumptis proxima*; Tigurina, *sapientes dissimulant scientiam, os vero stulti terrorem accersit*; Pagninus, *os stulti est contritio propinqua*; alii, *os stulti est prostratio sibi ipsi*; Baynus, *os stulti fractura vicinum*; Vatablus, *ori stulti est pernicies (clades) propinqua*. Aliqui cum R. Levi accipiunt contritionem et perniciem activam, *g. d.* Stultus sua garritate, petulantia, diacitate et mendacis omnia turbat, rixas concitat, multisque contritionem et perniciem affert. Melius alii accipiunt contritionem passivam; unde Noster vertit, *confusioni proximum est*. Sensus ergo est, *g. d.* Sapiens arroganter non ostentat sapientiam, sed eam sapienter et modeste abscondit et celat, ut tempore opportuno eam deponat et eloquatur: quare nihil dicit nisi bene expensum et mente ruminatum; at stultus nescit celare id quod scit, vel scire se putat; sed instar mesti ebullientis, quidquid habet in mente, temere ore eructat: quo fit ut multa dicat insula, arrogantia, seditiosa, maledica, ob quae redarguitur; ideoque confunditur, et pudore ac ignominia afficitur; imo conteritur, ac plagis et verberibus afficitur, ac subinde lingua alicui membro, quin et vita mulctatur. Hinc R. Salomon: Sapientes, inquit, sapientiam abscondunt, id est, imo corde reponunt, ne ullo unquam tempore aboleatur, juxta illud: « Abscondi in corde meo eloquia tua. » Sic et R. Levi et Aben-Ezra.

Quod si aliquando os stulti non confundatur, causa est vel ejus improbitas et impudentia, vel quod inter ejus verba et irrisionem audientium interjacet cortina simulationis. Coram enim eorum dissimulat, vel etiam adulando eum laudant; sed in corde, eo presente; eoque absente inter se palam insulsa ejus dicta subsannant. Parallelae huic sententiae sunt Philosophorum gnomo. Zenonis: « Ob id binas aures habemus, et os unicum, ut plurima audiamus, loquamur autem paucissima. Quare loquacibus aures in linguam deluxerunt. » Ita refert Laertius, libro VII,

cap. I. Euripidis: « Infrēni oris et illegitimae stultitiae finis, est infortunium et dentifragium. » Apollonii: « Loquacitas multos habet errores, silentium autem tutum est. » Catonis:

Nam nunquam tacuisse nocet; nocet esse locutum.

Demosthenis: « Si tam multa sapuisses, nunquam tam multa locutus fuisses. » Democritus: « Avaritia est omnia velle dicere, et nihil audire. » Theophrasti in Anaximenem verbum: « Incipit verborum flumen, mentis gatta; » indicans eum multam habere verborum, parum mentis et sapientiae. Theophrasti: « Magis fidendum est ego offreno, quam verbo incomposito. » Denique Arabum est proverbium: « Os linguae carcer est. »

Moraliter, discat sapientes celare suam sapientiam et virtutem, quia uni Deo eam probare satagunt; quare hominum oculos laudesque non aucupantur, dicuntque cum Apostolo: « Modo enim hominibus suadeo an Deo? An quaero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. » Galat. I, 10. Tales fuere primi Christiani, de quibus idem Apostolus, *Coloss. III, 6*: « Mortui estis, et vita vestra est abscondita eum Christo in Deo; » ubi multa in hanc rem dixi. Horum primiceria fuit B. Virgo, quae secreti amans abscondit se in templo usque ad angeli de Verbo pariendo nuntium, « intenta operi, verocunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quaerere, » ait S. Ambrosius, initio libri *De Virgine*. Eam imitasti Essei, ac deinde tot examina Ascetarum, ut S. Antonius, S. Hilarius, qui, ut ait S. Hieronymus in *ejus Vita*, « crebro locum mutabat, honorem fugiens et importunitatem: semper enim silentium et vitam ignobilem desiderabat; » S. Paulus, S. Macarius, S. Pachomius, S. Romualdus aliique innumeri. Et quot hodie sunt in Religionibus viri et feminae sapientia et virtute praestantes, qui ut mundi gloriam calcant, solique Deo et amaram salutem vacant, dicunt eum Psalte: « Elegi abjectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. » Hi Deo cogniti, mundi inogniti, calentes Deo pro orbe universo offerunt lacrymas; unde horum meritis precibusque stat mundus. Horum hoc est axioma: « Vive tibi, imo vive Deo, et longe nomina magna fuge. Bene vixit, qui bene latuit; *בֵּינֵי גִבּוֹרִים, יֵאָבֵד אִמְלִכּוּתָא*; latenter vive, latenter morere, » ut in magno illo et saeculo saeculi die, qui erit horizon temporis et aeternitatis, pro spreto mundi pompa caelitus choris, gloriae Sanctorum sempiterna, a Christo judice donari bearique merearis.

Hanc gnomen illustri pavonis et erinacii apollo festis rerum parabolis insignito, oculis quasi spectandam exhibet Cyrillus, lib. II *Apologet. moralium*, cap. XXI, cui titulus: *Contra vanos curiosos et volentes apparere*. « Pavo, ait, erinace-

occurrens, ut coram eo propriam gloriam ostentaret, ipsumque de spinosa cute confunderet: mox sublimata cauda, et quasi purpurea varietate, mirabili stellari specie aureis ordinibus situatis, effuse volitans hinc inde offerretur se luminibus intuentibus. Verum ille nutu prudentiae pavonem vana gloria efferi comprehendens, ipsam ut perderet, spinas globos collecti corpusculi et recondita facie, spinas undique tantum praebuit. Quo quidem facto, cum pavo se hinc inde cerneret, statim ira correptus, lamentetivis eloquiis illum aggressus dixit: Quamquam homo pulchras res mirabili admiratione semper cernere delectatur, tu tamen occultatis oculis non solum eam pulchritudinem videre sperasti, imo te ipsum mihi horrendum spinarum globum, deformemque formulam tribuisti. Cui ille respondit: Nemini certe facit injuriam, qui utitur re sua. Attamen, quae, ut pacifice dicas mihi quid pluris tibi sit videri, an esse? nimirum si dicis esse, quid tibi cum oculis meis? nam sine his non minus existis. Sed si videri plus appetis, jam pompa factus es umbratilis, et pupillare speculum quaeris. Memento quod basilisci oculus occidit. Quin etiam pavo tua recte dixerit tibi, quod olim simias sibi ante speculum gratulanti vulpes dixit: Gaude, soror, magis quod es, et nequaquam quod in luce similitudinis specularis appares. Nempe quia es, habes substantiam feriatam; sed in quantum in similitudine speculi appares, tantum umbra effioris vanitatis. » Deinde idipsum variis parabolis tigridis, fumi, seminis, leprore, aromatum, castaneae demonstrat: « Non audisti quod tigris velocissima raptos catulos perdidit, quia fixo per viam in speculum oculum mentiam sui similitudinem admirata, jam eos se invenisse pulavit, et sic ob vanam apparentiam amatam filiorum substantiam amisit. Quid ergo ventibulo pompositatis effunderis, et tantum in superficie id, quod foris est, quaeris? Recordare quod fumus evanescit cum spargitur; et tellus non pullulat, nisi immissum semen visceribus suis recondat. Albedo extrinseca nubilat oculum, et lepra per cutem respersa contaminat membrum. Occultata vero forma micat lucidius, et res aromatica cum est abscondita, plus delectat olfactum. Sic etiam castanea sub spinoso cortice reconditur, ut spreta vana apparentia, sub vera existentia medullis aris dulcedo requiratur. Hoc modo igitur ego spiritus vallis exterus, ut in substantia sim tutus. Sic (*Exod. xxxiv, 33*) Moysi facies luminoso velamine conditur, et (*Exod. xxxvi, 14, 19*) Sanctuarium Dei multiplici undique operimento a tur. » Denique a populo formice et chamaeleontis concludens hoc epimythium assignat: « Si audisti formice consilium, datum chamaeleonti de colore aureo gloriantur et latant, hoc ipsum tibi dictum puta, scilicet claudere oculum, et erigere in vera gloria stabilitas. Nam duobus superciliiis, ut clausura firmiori servetur, oculis clauditur, et uno tantum, ut raro sit suspensa palpebra,

aperitur. Quo dicto pavoni se admirabilem reddens, ipsum reliquit.»

45. **SUBSTANTIA DIVITIS. URBS FORTITUDINIS REUS: PAUPER PAUPERUM, EGESTAS EORUM.** — Chaldaeus, possessio divitis civitas est divitiarum eius (Syria, civitates munita), et pauper pauperum, necessitas eorum; R. Salomon, *egestas pauperum est summa calamitas eorum*; Aben-Ezra, *pauperes*, id est ex cordes, a *vamel egestas*, *profligantur*. Sensus est, q. d. Divites divitem muniunt, vallant et roborant contra paupertatem, persecutiones, calumnias catefascque hujus vite calamitates, perinde ac urbs fortis munit et defendit cives contra omnes hostium incursus, rapinas, caedes, etc. Quare dives in divitiis quasi in urbe munita confidens, animosus habitat: at pauper ob egestatem omnium injuriis patet, quia non habet opes quibus se redimat et defendat, ideoque incedit timidus et pavidus, perinde ac frigidus et aegri, quibus deest sanguis et calor, incedunt pallidi et pavidus: nam « opes homini pro sanguine sunt, » inquit Sapiens. Unde Tigurina vertit, *opibus velut urbe fortissima fidi loquutus: pauperes vero sua ipsorum pauperies timidos reddi*; Vatablus, *consternatio inopiam est egestas eorum, id est, diffidunt pauperes propter inopiam suam. Ita videmus divites incedere erectos, fidentes, animosos, in pavidos; pauperes vero contractos, abjectos, pusillanimes, pavidos.*

Pro pavor hebraice est מַחֲדָּה *mehchta*, id est consternatio, *contritio*, ut vertit Paginus; *fractura*, vel *fractio*, ut Syrus. Ita Beda: « Divites, ait, confidunt in divitiis, quasi in civitate munita. Pauperes ideo pavent, ne deficient, quia se norant egenos. » Hinc dicitur pauper a parvo esse vel lare, ac מַחֲדָּה: graece a μάχη, id est pavidus, formidolosus. Unde προσηγορία, id est inopem degere et mendicare, est προσηγορία, id est formidare, pavere, metu percelli. Et Lyranus: « Dives, ait, confidit in magnitudine divitiarum suarum, sicut obsessus in fortitudine murorum: pavor pauperum, egestas eorum: quia homines mali non formidant pauperibus injuriari. » Nam, ut ait Eccli. vii. 13, « sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia. » Significat ergo Salomon magna esse divitiarum commoda, si quis eis recte utatur: paupertatem autem esse incommoda, nisi altiore spiritu, puta Evangelico, fulciatur et quasi animetur. Unde et Aristoteles I *Ethic.* cap. x. docet esse instrumentum ad acquirendam felicitatem aptissimum, easdemque materiam praebere virtuti.

Porro haec sententia, cum sit paremia, indefinita et generalis, variis rebus et finibus aptari potest. Haez Cajetanus et noster Salazar putant esse dici contra divites et divitiis, quod haec superbiam et audaciam pariant; ac contra pauperes et paupertatem, quod haec hominem abiciat, ideoque tacite commendari aream mediocritatem; haec enim expetit Salomon cap. xxx, dicens: « Divites ei paupertatem ne dederis mihi, tribue tan-

tum victui meo necessaria. » Nam, ut ait Poeta:

Aream quibus melioritatem  
Diligat, iustus caret obsoleto  
Sordibus tecti, caret invidenda  
Sobrius aula.

Sic et noster Fernandez in *Genes*. cap. xvii, sub finem: « Substantia divitis urbs fortitudinis eius, » q. d. Clausum, inquit, circumseptum, egregie communitum, denique fortem et invictum, imo et victorem se tenet dives intra suas opes, vel adversus ipsam legum et iudicium justitiam et potestatem. Enimvero inexpugnabilis solet esse pecuniosi aut illustri viri causa, licet execrandi nobilitate flagitis. Quid plura? Tam vere, quam eleganter scripsit S. Cyprianus, *epist. ad Donatum*: « Nullus de legibus metus est: de quaestione, de iudice pavor nullus: quod potest redimi, non fit metum. Esse jam inter nocentes innoxium (adde tu et pauperem et ignobilem), crimen est. » Sic ille. Quem videris absolvi, time ne dives sit: quem damnari videris, pauperculum scias. Iste hodie mundus est. Hec Fernandez.

Huc faciunt Senarii Menandri apud Stobaeum, *serm.* 89, quibus non alios se deos agnoscere canit, quam argentum et aurum, qui omnia possunt:

Ego utilis deos vero esse arbitror  
Nastros, et argentum, et aurum maxime:  
Istos quidem, si dedices tua in domo,  
Quidquid vales, roges, tibi omnia aderant,  
Ager, domus, servitque et argyromata (argentea vase)  
Testes, amici, iudices: talem dato,  
Ipsos habebis, vel ministrantes deos.

Melius Baynus, Jansenius et alii referunt ad laborem et fugam otii, de qua dixit vers. 4 et 5: « Egestatem operata est manus remissa; manus autem forum divitias parat. » Sensus ergo est, q. d. Esto sedulus in opere et labore, ut tibi pares opes sufficientes ad commodam vitam: haec enim te muniunt instar urbis fortissime; si enim ex pigritia vaces otio, incidis in egestatem que te facit pavidum, utpote omnium injuriis obnoxium. Favent Septuaginta dum vertunt, *possessio divitum civitas munita, contritio inopium pauperum*. Ubi cum divites opponant impiis, videntur per divites accipere impigos et sedulos, per inopios vero pigros desideresque, ideoque fraudulentos et furaces, q. d. Impigri suo labore parant sibi possessiones, que ipsis sunt praesidio, quasi civitas munita; at pigri et impii suo tempore creant sibi paupertatem, que ipsos contritum redigique ad angustias famis, inediae et mortis.

Hinc tropologicè significatur labor parandas esse opes virtutum: haec enim sunt quasi urbs inexpugnabilis, que hominem contra omnia adversa protegat et communiunt. Unde Hugo: « Haec affluentia est urbs electorum, ait, cuius vallum est contemptus terrenorum, murus spes.

antemurale patientia, turris humilitas, fons turrim muniens luctus, rivulus hujus fontis aqua lacrymarum, speculator prudentia, janitor obedientia, rex charitas, custodes milites justitia, temperantia et fortitudo. » Vere Lyricus: « Sunt verae opes, quae serviunt virtutibus. Summas opes, summam virtutem existimes. »

Anagogice significatur laborandum hic esse, ut per bona opera magna gloriae opes comparemus in caelesti Jerusalem, que erit nobis urbs invicta et fortissima. Unde auctor *Catena Graec.* sic explicat, q. d. « Homines virtutibus dediti, qui bonis operibus abundant, caelestem Jerusalem, que est civitas pro ceteris munita, per virtutem sibi comparant; impii vero qui nullum bonum opus possident, sempiterni supplicii reatu sese obligant. Nam per contritionis nomen hoc designavit, sicut per honorum operum penuriam mortem ipsam. » Et Beda: « Qui in Deum, ait, dives est per bona opera, confidit in illo quasi in urbe inexpugnabili, quia a nullo hoste possit superari. At qui virtutum inopia coangustatur, ideo caelestibus egent divitiis, quia noxio pavore timet duros pro domino tolerare labores. » Ubi adverte Bedam: « pavor accipere active, q. d. Pavor pigrorum, puta pavor horrorque laboris est causa egestatis eorum; sicut ex adverso fortitudo, id est, labor fortis et strenuus est causa substantiae divitis. Esto magis genuine ad litteram pavor hic accipi debet passive ut effectus, sicut patet ex *urbs fortitudinis*, que pavori opponitur: ut sensus sit, q. d. Sicut substantia divitis causat urbem fortitudinis, id est, confidentiam et securitatem, qualem habent cives in urbe forti: sic ex adverso egestas pauperum causat in eis pavorem.

Sed redeo ad sensum Bedae. Coelestis Jerusalem vocatur « urbs fortitudinis, » primo, quia per fortitudinem aditus in illam parandus est, nempe qui nisi fortis in illam ingreditur. Unde in *Vitis Patrum in Vita Epicteti et Astionis Martyrum* legimus Vigilantium, ab Astione missum ad parentes, ut eos de sua morte solaretur, eis rogantibus quoniam esset illa regio paradisi, in qua filium degere et vivere assuerat, Vigilantius respondit: « Regio est robustiorum, vigilantium fortium; civitas Christicolis seu virorum virtutum, habens portas duodecim, et in singulis dependent margaritae. » Haec civitas, et aula fortium Christi, admiranda fuit per triginta fortissimos milites aulae Davidis, *II Regum*, xxii.

Secundo, quia in se fortissima est. Unde de ea canit Isaias xxvi, 1: « Urbs fortitudinis nostrae Sion; Salvalor in ea ponetur murus et antemurale. » Alii vertunt ex Hebraeo, *urbs fortitudinis in nobis est Sion; Deus salutem ponet et in muris et propugnaculum*, q. d. Vis nosse quam fortis sit illa Babilorum urbs? Audi: ipsa salus suis muris et propugnaculis eam cinxit; Deus posuit salutem ei pro muris et propugnaculis: ipsa ergo salus

urbem undique cingit et propugnat. Nemo autem est qui ipsi saluti et incolamitati nocere queat.

Porro S. Ambrosius haec accommodat diemonymo, que non tam robore quam liberalitate emit eorum, Martyres *suum omnium caelum* caro, quia sanguine; *elemosynarii autem villi praetio*, puta argento et auro, id est alba et rubra terra. Sic enim, ait S. Ambrosius, *lib. III. epist. 25 ad Verceilensem Ecclesiam*, longiuscule ante finem: « Est ergo, ait, et his materialibus divitis virtuti locus. Quasi gubernatores estis in magno mari. Si quis bene gubernat suum navigium, cito transit fretum, ut perveniat ad portum; qui autem nescit regere suum censum, onere suo mergitur. Ideo scriptum est: Possessio divitum civitas firma. Que est ista, nisi Jerusalem que in orlo est, in qua regnum Dei? Bona haec possessio, que non hic relinquatur, sed illic possidetur, in hac possessione qui fuerit, dicit: Portio mea Dominus. Non dicit: Portio mea ab illis usque ad illos porrecta et diffusa terminos. »

16. **OPUS JUSTI AD VITAM: FRUCTUS AUTEM IUSTI AD PECCATUM.** — Pro fructus hebraice פְּרוּתָהוּ *pru'tahu*, id est *proventus*, qualis est seges agrorum et vindemia vinearum. Unde Aquila, Symmachus et Theodotus vertunt, *generamina inopium*; Septuaginta, *opera iustorum, vitam faciant*; *proventus autem inopium avaritiae*, id est *peccata*, scilicet sunt; vel, ut Complutenses legunt, *avaritiae*, id est *peccatis*, supple, *serviunt vel abundant.*

Primo, R. Salomon sic explicat, q. d. Salomon opus templi perfecit ad vitam Israelitarum, ut scilicet ibidem sua crimina expiant: fructus autem Manassis fuit ad peccatum, eo quod in templum induxerit idololum. Verum haec expositio vel mystica est, vel per exemplum duntaxat.

Secundo, alii per opus accipiunt opus hominis, per *proventus* fructus terrae, ut opus sit lucrum labore partum, *fructus* sit census et redditus illaboratus, qui terre fecunditate odoso diviti provenit: ut Salomon hic vitam laboriosam tenuium praeferat otiosae et inertis divitum, q. d. Opus et labor, quo justus tenuis fortunae victum quaerit, melior, sanctor et feliciores est otio inertis divitum, quibus sponte terra vel census annui opes subministrant. Labor enim vitam corporis sustentat, vitam gratiae consequitur, et vitam gloriae promeretur. At vero otium iners, quo dives impius opibus luxuriae diffundit, nullorum peccatorum, ut superbiae, gulae, luxuriae, etc., illi est causa. Ille sensus valde est accommodatus. Hinc consentit illud Lyrici: « Opum voluptas atque luxus assecit. »

Tertio, Cajetanus exponit, q. d. Justus *cetera* et labores suos refert ad tuendam vitam tam corporis quam animae; at impius non tantum labores, sed et *proventus* terre refert ad peccatum: tam parva siquidem est ejus intentio, ut bonis etiam, que na-

tura sponte profert, abutatur ad peccandum (1). Quarto, simpliciter et plane Jansenius: Justus, inquit, operatur et laborat, non ut habeat unde luxurietur, et desideris pravis satisfaciat, sed ut vivat; ac fractus, vel ut habeat Hebraea, proventus qui impio provenit ex laboribus ipsis, aut etiam circa ejus operum, usurpatur ab eo ad peccatum. Hoc est ergo differentia inter justum et impium, quod justus querit opus, impius fructus et proventus operum sive suorum, sive alienorum. Justus querit ex opere suo vitam, impius utitur suis bonis ad peccatum. Quocirca huic sententiae antistrophe sunt ille sapientum: «Vitam ad tuendam, non ad regendam, opes date. Opes oculatas efficit prudentia. Opes sapienti serviunt, stulto imperant. Opes sapientis sunt, insipientis opum.»

Mystice, sub vita corporali intellige spiritalem gratiam, q. d. Justus omnia sua facit, ut vitam gratiae et gloriae adaugeat, ut scilicet per magna bonorum operum merita magnam in caelo gloriam consequatur; at impius omni suo labore et proventus abutitur ad peccatum, ut concupiscentias suas expleat; itaque sibi majora in dies tormenta in gehenna parat; impii vero ad peccatum, et consequenter ad mortem praesentem et aeternam. Ita Lyranus, Hugo, Jansenius et alii. Porro Dionysius: Fructus, inquit, impii, id est delectatio ejus, seu actio interior tendit ad peccatum, quia concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum, *Jacob. 1.* Cogitationes ergo, intentiones et molitiones justi feruntur ad bonum, puta ad virtutes, quae homini conciliant mortem et gloriam; impii vero feruntur ad malum, puta ad peccata, quibus sibi conciliant mortem et gehennam: gulosus enim non fertur nisi ad delicias, avarus ad opes, iratus ad rixas, superbus ad fastum, etc.

17. VIA VITAE, CUSTODIENTI DISCIPLINAM: QUI AUTEM INCREPATIONES RELINQUIT (SYTUS, ODIT), ERRAT.— Hebraice מְטִיבֵי מַעַל, id est, faciens errare, quia non tantum ipse errat, sed et in suum errorem alios adducit. Jam quia Hebraei carent casibus, hinc vario casu haec varie vertunt. Septuaginta, *quis vitae custodit disciplina: disciplina autem carnis increpatione* (Graece *ἀντιδραστος*, et quod auctor *Caten.* Graec. vertit, *qua examinata et probata non est*) errat; Schollastes, *viam vitae custodit innocentes; Symmachus, semita ad vitam custodientium disciplinam; Pagninus, semita ad vitam custodientium correctionem; Syrus et Chaldaeus, via vitae custodit disciplinam* (2).

Pro disciplinam hebraice est מוֹסֵר *musar*, id est castigatio, correctio, increpatione, disciplina, sive quae ab homine datur, sive quae a Deo, qualis est

(1) Ita Maurer et Rosenmullerus.

(2) Maurer, *viam ad vitam est, id est, viam qua ducit ad salutem monstrat, qui servat disciplinam; et, sed qui relinquit reprehensionem, errare facit.*

cum morbos, famem, bella aliasque tribulationes immittit. Sensus ergo est, q. d. Via vitae est custodia disciplinae; sive, qui custodit disciplinam vel increpationem, hic recta regiae via graditur ad vitam sanctam, felicem et aeternam: qui vero increpationem respuit, hic aberrat a via vitae, rectaque graditur ad mortem aeternam. Docet ergo Salomon sapientem libenter se subijcere disciplinae et correctioni, tum hominum, tum Dei, cum scilicet Deus nos corripit, vel per S. Scripturam, vel per internas inspirationes, vel per externa flagella et tribulationes, ut vitam mulemus, et vitia rosecemus; vel ad majorem humilitatem, patientiam, mundi contemptum caeterasque virtutes ascendamus. Causam a priori dat S. Chrysostomus, in *Psalm. viii. 40*: «Infer, ait, supplicium, et cessare facies a vitio; quemadmodum enim putrefactione cedunt usturis et sociationibus, ita et a supplicio aereur improbas, qui scinditur et uritur, iter ad sanitatem ingreditur.» Unde Clemens Alexandrinus, lib. *1. Pedag.* cap. vii: «Est, ait, reprehensio veluti quaedam chirurgia affectionum animae; medicamentum autem est probri insinulatio, quae resolvit affectiones quae jam occaluerunt, impudiceque ac libidinosae vitae sordes expurgat, fastusque ac superbiae carnes quae excreverunt exaequat. Jam vero admonitio est veluti quaedam diæta egrotantis animae: quae sunt sumenda, consulit; et quae non sunt, prohibet.» Et paulo post: «Benevolentia, ait, non odii signum est reprehendere; ambo enim probrum obijciunt et amicus et inimicus, sed inimicus quidem irridens, amicus vero benevolens,» ut scilicet ad virtutem et salutem eum quem corripit, deducat. Igitur labores, correptiones et tribulationes sunt «regia ad caelum via,» ait Nazianzenus, orat. *De plaga grandinis*: qui autem eas rejicit, hic a caelo aberrat, et devius abit ad tartara. Haec scilicet via inaccessi Christus rex noster, ideoque ait: «Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?» *Lucæ xxiv.* Si ergo molestiam sentis in disciplina, in correptione et tribulatione, respice finem: illa enim te ducet ad caelum, ducet ad gloriam. «Non ergo aspicias, inquit S. Chrysostomus, quod via est aspera, sed quo ducit; neque aliam, quod lata est, sed ubi desinat:» via enim arcta ducit ad caelum, lata ad infernum, ut ait Christus, *Matth. vii. 13.* Idem Chrysostomus, hom. *De eruditione disciplinae*, tom. V: «Eruditio, ait, disciplinae custos est spei, et dux viae ad vitam ferentis, et spirituum magistra virtutum; ad caelestes reprimiones perducit, et ad divina praemia facit pervenire: haecque nos sectari oportet ad vitam, et averti ab omni malitia; dicit enim Psalmista: Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et peratis de via justa.»

Porro cur Deus staterit ut disciplina, correctio et tribulatio, sit via ad vitam, ejus vero repudium sit via ad mortem et gehennam, causa est innata

nobis concupiscentia: haec enim, ne sibi relicta, luxuriet et exundet in vitia, disciplina coercenda est, sicut virga coercemus petulantiam puerum. B. Aegidius socius S. Francisci, rogatus cur S. Joannes Baptista, cum esset a peccato purus et innocens, in deserto tamen tam asperam vitam egisset, apte respondit: «Cur caro sale perfricatur? utique ne putrescat; sic et caro innocens sale poenitentiae et asperitatis perfricanda est, ne voluptate corrumpatur.» Hoc est paradoxum, quod quasi principium suae doctrinae statuit S. Jacobus, initio Epistolae, dicens: «Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestrae patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet;» ubi nullis haec de re egi. Huc facit illud Poetae:

Quantalibet e mediis consurgunt lilia spinis;  
Sic virtus ipsa crescit ovataque malis.

Virtus enim, aeque ac farina, cribrata evadit purissima.

Denique notanda est versio Septuaginta: *Disciplina vero, carens increpatione, errat*, quia carens norma limaque increpationis temere vagatur et aberrat, nec finem suum, qui est morum correctio, assequitur. Notent hoc Superiores et concionatores, qui nimis suaves sunt et dulces, indeque disant dulcedini miscere increpationes et objuraciones, cum opus est: sine his enim vitia inolta non resancantur, sicut sordes inolite scutellis stanneis non eluuntur, nisi lixivio acriore perfricentur: atque morbi graviores non curantur, nisi ferri sectione, vel ustione cauterii. Audiant et disant tam ipsi, quam audientes et subditi, illud Apostoli: «Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes; ergo adulteri, et non filii estis, etc. Omnis autem disciplina in presenti quidem videtur non esse gaudii, sed meroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiae,» *Hebr. xii. 8.* Talis concionator fuit Christus Dominus, qui ita exorsus est predicare: «Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum caelorum,» *Matth. iv. 17.* Idem identidem vae maledictionis et damnationis aeternae Scribis et Pharisaeis intentavit, ut patet toto cap. *xxiii. Matthæi*. Talis fuit Joannes Baptista in Judeos detonans: «Progenies, inquit, viperarum, qui demonstravit vobis fugere a ventura ira? facite ergo fructum dignum poenitentiae,» *Matth. iii. 7.* Talis S. Petrus: «Poenitemini, inquit, et convertimini, ut deleantur peccata vestra, ut, cum venerint tempora Aetrigerii a conspectu Domini,» etc., *Act. ii. 49.* Talis S. Paulus in Aroepago: «Et, inquit, tempora quidem hujus ignorantiae despiciens nunc Deus, annuntiat hominibus ut omnes ubique poenitentiam agant, eo quod statuit diem in quo judicaturus est orbem in equitate,» *Act. xvii. 30.* Idem Elymam magnum ita redarguit: «O plene omni dolo et omni fal-

lacia, fili diaboli, inimice omnis justitiae, non desinis subvertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, et eris caecus,» *Act. xiii. 10;* et Galatas, cap. *ii. 1*: «O censuisti Galatas, quis vos fascinavit non obedire veritati?» Tales fuere ceteri Apostoli, quorum ex precepto et exemplo Christi haec erant perpetua conia: «Poenitentiam agite.» Tales fuere omnes Prophetae, ut liquet ex eorum libris et oraculis.

Denique huc spectat paradoxum Climachi, *gradu 4.*, quod est apex perfectionis Christianae, imo Religiosae: «Bibe, inquit, summa alacritate objuraciones et irrisiones a quovis homine tibi propinatas, non aliter quam aquam vitam.» Cur? quia haec ratione, primo summe honoras Deum, offerensque ei uniones mysticos. *Secundo*, simillimus es Christo dicenti: «Ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis.» *Tertio*, summe humilias te, pateris, vinis teipsum. *Quarto*, impetras magnum Dei gratiam. *Quinto*, assecutus tibi salutem. *Sexto*, in eo consistit vera sanctitas et apex perfectionis. *Septimo*, redimis penas inferni. *Octavo*, das alii exemplum et speculum heroicæ virtutis. In illis ergo exulta et jubila, ut faciebat Juniperus socius S. Francisci, qui probrum se jactantibus respondebat: «Amice, projice uniones hos in sinum meum; haec enim margaritas ambio.»

18. ABSCONDUNT ODIIUM (SYTUS, INIMICITIAM) LABIA MENDACIA: QUI PROBERT CONTUMELIAM, INSPIENS EST.— Hebraice, *profertur infamiam ipse stultus*; Septuaginta contrarie vertunt, *operantur inimicitiam labia injusta; qui autem profertur contumelias, insipientissimi sunt.* Verum pro *labia mendacia*, id est *justa*, videtur legendum *diva*, id est *injusta*, uti vertit Theodotion. Hebraea enim habent, *labia mendacis*; Aquila et Symmachus, *labia mendacis*. Pro *contumelias* hebraice est דַּבְּרָא *divba*, quod significat rem infamem, scelus, probrum, contumeliam. Unde Aquila et Symmachus vertunt, *vituperationes*, sive eas in absentem fiant per detractionem, sive in presentem per contumeliam. Jam *primo*, ex Hebraeo, Tigrina sic vertit, et explicat per modum unius sententiae bimembris, *qui celat odium labis mendacibus, et qui infamiam prodit, aequo stultus est.*

Hoc secutus Jansenius Vulgatum versionem carpit; ea enim recitata sic ait: Ad hunc vel similem modum omnes fore vertant, cum nec sensus recte constet, nec Hebraea sic habeant. Non est enim verbum pluralis numeri, sed singularis *abscondens*, vel *operans*, ut ad hunc modum vertendum videatur: «Abscondens odium labis mendacibus, et profertur infamiam, ipse stultus,» hoc est, utraque horum est stultus. Itaque duo lingue vitia inter sese contraria nec describuntur, quorum alterum est tegere odium verbis falsis et sermonibus amicitiam simulantibus ad decipiendum; alterum est ex odio proferre aliquis infamiam et contumeliam. Ambo haec, quantumvis sint diversa et contraria, insipientis sunt et stulti;

quia imprudenter fiunt et impie. Nostra littera, ut ad hunc sensum accedat, sic est accipienda: Labia mendacia nonnunquam maligne abscondunt latens in corde odium, et tamen simul cum eo qui hoc agit, etiam est insipiens qui odium non abscondit, sed ex odio alterius profert infamiam: hæc Iansenius. Verum Vulgata versionis consentiunt Septuaginta, Syrus, Pagninus et Chaldaei: *Insidiatur, inquit, inimicus labiis mendacii, et qui profert detractionem, stultus est. Licet enim ככככ merasse, id est abscondit, operit, tegit, sit singularis numeri, tamen per enallagen hebraeis frequentem sumitur pro plurali ככככ merassim, id est abscondunt, præsertim quia sequitur nomen singulare סנהה sina, id est odium, ac eo non coheret: ac ספית siphite, id est labia, cum quo coheret, licet sit duale, usurpat tamen tam pro plurali quam pro duali et singulari: imo omnia nomina dualia et pluralia apud hebraeos, que carent singulari, vel potius usitata sunt in duali vel plurali, quam singulari, quale est siphite, id est duo labia, tam singulare quam plurale vel duale significant, puta tam unum labium quam duo, vel plura labia. Unde verbum vel participium cum his coherens, tam in singulari, quam in plurali ponere, æque ac vertere licet, ut hoc loco tam veritas, abscondit labium quam abscondunt labia. Aut certe Noster pro ככככ merasse in singulari legit ככככ merassot in plurali feminino: siphite enim, id est labia, hebraice sepe est feminini generis, subinde tamen est masculini. Estque elegans antithesis inter mendacem abscondentem odium et stultum profertentem contumeliam, q. d. Qui callide abscondit et celat odium, præferens labiis amicitiam, hic tectus et fictus, puta hypocrita, mendax et fraudulenter est: at qui contumeliam et probrum alterius, quod secreto novit non celat et abscondit, sed in lucem profert et prodit, hic insipiens est. Insipiens, id est nequam, iniquus et impius: quia crimen et probrum proximi secretum in lucem profert, ideoque mortiferum peccat contra charitatem et iustitiam, ut docet D. Thomas, II II, Quæst. LXXII, art. 2, et Quæst. LXXIII, art. 2, et ibidem cæteri Theologi.*

Rursum insipiens est proprie, primo, quia prodit suam garrulitatem, imprudentiam, maledicentiam; secundo, quia per eandem provocat eum cuius crimen prodit, ut ipse vicissim parari referat, suaque occulta scelera pandat; itaque seipsum exponit periculo infamie; tertio, quia creat sibi inimicium, iras, lites graviaque mala, ne subinde mortem; quarto, quia perire et feminem est conviciari. Insipientes enim et imbelles perire ac feminem, cum manibus non possint se ulcisci, ulciscuntur ore, iocundo probra et plura maledictorum in adversarium. Plura mala, profertens contumeliam, insipienter sibi creat, sui crimen, quod alteri vel occulte per detractionem, vel publice et palam per contume-

liam obicit, non sit verum, sed falsum. Tunc enim ille cui detrahit vel conviciatur, iuste potest cum arguere mendacii et falsitatis, enunquam calumniæ in iudicio reum pergere ac penam talionis ab eo deponere. Quod si id ipse, eo quoniam probus et patiens sit, non faciat, eo maior ejus resultat laus, ac vicissim majus calumniatoris probrum et dedecus. Nam, ut sapienter ait S. Augustinus, serm. 13 De Resurrect.: « Maledictum patientia repercussum in suum redit auctorem, illeso eo qui petebatur. » Unde et Seneca, epist. 77: « Equo animo, ait, audienda sunt imperitorum convicia, et ad honesta vadentem contemnendum est ipse contemptus. »

Carpit ergo Salomon hic duo vitia in speciem opposita, sed reipsa sepe connexa, et ex eadem odii radice procedentia. Prius est, abscondere odium (1): satius enim est odium patefacere quam abscondere: patefactum enim exhalat et minuitur, vel evanescit; absconditum vero sese intendit, densat et gliscit, sicut ignis absconditus serpit, crescit et gliscit: in flammam vero erumpens, vel seipso consumitur, vel ab hominibus aqua injecta restinguitur. Unde Moses, imo Deus Levit. xix, 17, sancit: « Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habas super illo peccatum. » Quin et Seneca in Prov.: « Gravior est, ait, inimicus, qui latet in pectore, gravior malum est omne quod sub aspectu latet. Nam cum qui palam est adversarius, facile cavendo vitare possis. Trojanus æquus ille fœdellus, quia formam misericordie mentitus est. » Idem alibi: « Amari, ait, et agnosci amat, qui odium ostendit. » Accedit quod hic sit duplex nequitia, scilicet prima, odium; secunda, hypocrisis, puta abscondio odii, et simulatio amicitie. Atqui, ut ait Cassiodorus in Psal. lxxv: « Gravissimum inimicitie genus est esse corde adversarium, et lingua se simulare devotum. » Et Boetius, lib. III De Consol.: « Nulla, ait, pestis est efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus. » Quocirca Aristoteles in Ethicis docet sapientem et magnanimum esse apertum tam in amore quam in odio, ac utrumque palam libereque edicere et profiteri. Sic enim ait lib. IV Ethic. cap. ix: « Necesse est etiam et aperte tam odium quam amorem se ferat magnanimus: latere enim velle timentis homini est; majoremque veritatis curam quam opinio habet dicatque et agat omnia aperte. »

Posterior est contumeliam proferre, quod et priori oritur, puta ex odio: ideo enim odium a tempore celatur, ut opportuno tempore in contumeliam et injuriam erumpat, quocirca remediare utriusque vitii est succidere radicem, puta deponere odium: sic enim nec ut mendaces abscondemus odium, nec ut stulti proferemus contume-

(1) Sui blandis sermonibus atque, et interim animi malum machinari. Hebr. est, qui tegit, dissimulat, odium blandis sermonibus, est labiis mendacibus, hypocrita.

liam. Hoc forte voluere Septuaginta dum vertunt, labia iusta operiant inimicitias, id est eas abolent, delent, extinguunt (charitas enim operit multitudinem peccatorum), ne in contumeliam erumpant, sicut quæ irreconciliabiles. Nam, ut sapienter ait Plutarchus in Moral.: « Amicitie post convicia mutua et fame lacerationes invicem datas, aut non coemunt, aut citriciores coemunt. » Unde infert Beda: « Si ergo, ait, verax et sapiens esse desideras, odium neque in abscondito cordis contege, nec per oris contumeliam profert, sed tuum et cor dilectione et os veritate repletur. »

19. IN MULTILOQUIO NON DEERIT PECCATUM, QUI AUTEM MODERATUR LABIA SUA, PRUDENTISSIMUS EST. — Hebraice, in multitudine verborum non cessabit prævaricatio, vel transgressio; et qui cohibet vel prohibet labia sua, intelligens vel prudens est; Septuaginta, ex multiloquio, vel, ut legit S. Cyrillianus, ex multiloquentia, non effugies peccatum (Symmachus, vitium); parcens autem labiis sensatus erit. S. Isidorus in Soliloquio, multiloquium non effugiet culpam.

Quæres, quodnam vocetur hic multiloquium? Nam et Christus et Sancti multa sancte locuti sunt et scripserunt, ut patet ex Evangelii et Patrum libris, in quibus proinde defuit peccatum. Primo, Clemens Alexandrinus, libro II Pædagogici, capite vi, per multiloquium accipit verba inepta, otiosa et nugosa: « Inepte etiam nugæ, ait, sunt silentio prætereunde. Nam Scriptura ait: Ex multiloquio non effugies peccatum. » Hæc vera est, at non adequata expositio. Huc accedit S. Bernardus qui per multiloquium accipit verba otiosa. Sic enim scribit serm. De triplici custodia, manus, lingua et cordis: « Quam vera, ait, sententia, fratres, in multiloquio non effugiendum peccatum! Ut enim præteream cætera, si propterea est otiosum verbum, quod nullam rationabilem causam habeat; quam rationem de eo reddere poterimus, quod est præter rationem? Nemo nostrum, fratres, parvi aestimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis, siquidem tempus acceptabile est, et dies salutis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irrevocabile, nec advertit insipiens quid amittat. Libet confabulari, atque, donec hora prætereat. O donec prætereat hora, o donec prætereat tempus, donec hora prætereat, quam tibi ad agendam penitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promovendam miseraio conditoris indulget. Donec transeat tempus, quo divinum tibi reproptare debebas pietatem, proptare ad angelicam societatem, suspirare ad amissam hereditatem, aspirare ad provissam felicitatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. »

Secundo, Cresconius Grammaticus per multiloquium accipit eloquentiam, quasi ars oratoria, sive rhetorica hic notetur et damnetur. Unde ipse sic legit, ex nautica eloquentia non effugies peccatum.

Quem redarguens S. Augustinus, lib. I Contra Cresconium, cap. 1, multiloquium ita definit: « Dicitur, ait, non est, ex multa eloquentia, sed ex multiloquio. Multiloquium autem est superflua locutio, vitium scilicet amori loquenti contractum. Plerumque autem loqui amant etiam qui nesciunt quid loquantur, etc. Eloquentia vero facillime dicendi est congruenter explicans que sentimus: qua tuæ utendum est, cum recta sentimus. Hoc modo ea non asi sunt heretici. » Unde idem lib. I Retract., in Prologo, causam scribendi libros Retractionum hanc assignat: « Illud etiam quod scriptum est: Ex multiloquio non effugies peccatum, terret me plurimum, non quia multa scripsi, vel quia multa etiam, que dicta non sunt, tamen a me dicta, conscripta sunt. Absit enim ut multiloquium deputem, quando necessaria dicuntur, quantalibet sermonum multitudinem ac prolixitate dicantur. Sed istam sententiam Scripturæ sanctæ propterea timeo, quia de tam multis disputationibus meis sine dubio multa colligi possunt, que si non falsa, at certe videtur, sive etiam convincantur non necessaria. Quem vero Christus fidelium suorum non terruit, ubi ait: Omne verbum otiosum, quodcumque dixerit homo, reddet pro eo rationem in die iudicii? » Matth. xii. Idem libros suos De Trinitate hæc præce ad Deum concludit: « Coram te est firmitas et infirmitas mea: illam serva, istam sana. Coram te est scientia et ignorantia mea. Ubi mihi aperuisti, suscipe infrantum: ubi clausisti, aperi pulsanti. Meminerim tui, intelligam te, diligam te. Scio scriptum esse: In multiloquio non effugietur peccatum. Sed utinam predicandum verbum tuum, et laudando te tantummodo loquerer! non solum fugerem peccatum, sed meritum bonum acquirerem, quamlibet multum sic loquerer. »

Igitur multiloquium est vitium, quo nimis gessit homo loqui, ideoque locutionis plura quam oportet proloquitur, ac verborum est prodigus, uti faciunt qui incontinentes et intemperantes sunt lingue, ac semper loqui avent, deque rebus omnibus miscunt sermones, ac temere suum de singulis proferunt iudicium et censuram. Hi enim facile incidunt in peccata: quia labente lingua, et fallente memoria, ac rapiente pruriginis loquendi, facile veris immiscunt falsa, utilibus noxia, necessariis vana et otiosa; ac difficile, imo impossibile est, ut cautelam et circumspectionem, que requiritur, omnibus suis diebus adhibeant. Quocirca imprudenter multa effundunt, multosque offendunt, ac in detractiones, irrisiones, scemmata, convicia, desultoria lingue levitate dilabuntur. Ita S. Ambrosius, lib. I De Cain et Abel, cap. ix: « Nos autem, ait, claudimus ostium, nam culpa intret, ne lapsus aliquid sermonis exeat: intrat culpa, si lapsus exierit. Audi quomodo intret culpa. Ex multiloquio, inquit, non effugies peccatum: exivit multiloquium, peccatum intravit, quia in multiloquio nequaquam, qui exit

sermo, trutinatur, imprudenter labitur, licet ipsum ultra mensuram loqui, grande peccatum non sit. » Et S. Gregorius, admonit. 15, III part. *Pastoralis*: « Admonendi (inquit) sunt multiloquio vacantes, ut vigilantur aspiciant, a quanto recitandis statu deperant, dum per multiplicia verba dilabuntur. Humana etenim mens aequa more circumclusa ad superiora colligitur, quia illud repelit, unde descendit; et relaxata deperit, quia se per infima inutiliter sparsit. Quot enim supervacuis verbis a silentii sui censura dissipatur, quasi tot rivis extra se ducitur: unde et redire interius ad sui cognitionem non sufficit, quia per multiloquium sparsa, a secreto se intima considerationis excludit. » Haec et plura S. Gregorius.

Aliam causam cur multiloquium sit causa peccatorum dat S. Antiochus, hom. 102 *De Silentio*: « Immoderata, ait, et effrenis verborum prolatio, quae periclitatur mentis tranquillitas, non solum circa operationem spirituales lentescere facit eam, ac desiderare; sed et molestissimo demoni aecidia mancipat illam ac dedit. Et quemadmodum exstantibus balnei fores continent aperte si sint, intimum calorem occlusum efflant, et expellunt in ea quae sunt extrinsecus: ita etiam anima, » etc. Consentit S. Dorotheus, doctrina 24 *De Compendiosis*: « A multiloquio, ait, abstinere; hoc enim exstinguit cordi advenientes cogitationes rationales et celestes, » datque similitudinem furni (simile est in hypocaustis) calentes, qui calorem servat, quamdiu ostium clauditur; at si illud reseretur, calor exhalat. Simili enim modo cor devotionis calorem et spiritum conservat, quamdiu ostium oris claudit: et si illud reseret, per verba exhalat ille calor spiritus.

*Tertio*, cum S. Chrysostomo in *Psal. cxi*, præcise et ricide: In quovis multiloquio, etiam pio, sancto et necessario, non deest peccatum, quia impossibile est homini debili et caduco, singulis suis diebus adeo multis, illam circumspectionem et moderationem adhibere, quae requiritur, perinde ac impossibile est per plures dies aliquid agere et vivere sine vitio et peccato, uti docet Franciscus Suarez, ino Salomon, cap. xxiv, 16: « Septies, ait, in die cadet justus. » Simile est in sagittario, qui etsi peritissimus sit sagittandi, et scopum sagitta certo configit, quoties ei liberit, tamen, si centies in scopum continuo jaculetur, impossibile est ut semper eum configat et nunquam aberret: quia humanae mentis attentio et contentio finita est ac caduca, postquam plures actus elicitos mollescit, flaccescit ac labitur. Quare praestat breves facere conclusiones et sermones ac crebros, uti fecit S. Leo, S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Bernardus et alii, quam prolixos et raros. Peccant haec in re concionatores, qui horam in concionando excedunt, itaque sua prolixitate auditoribus tedium, sibi fatigationem et periculum male loquendi creant. Mens enim, velut ar-

cus intentus, tanto tempore in hac attentione et intentione durare nequit, quin fatigetur et labatur: ad breves autem sermones attentionem congruam praestare valet, et in eodem mentis vigora ad modicum tempus durare sufficit: « Alliga, inquit S. Ambrosius, lib. I *De Offic.* cap. iii, sermonem tuum, ne luxuriet, et multiloquio peccata sibi colligat; sit restrictior, et ripsis suis coercatur: cito lutum colligit amnis exundans. »

Remedium ergo hic suggerit Salomon: « Qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. » Hebraice *מַשְׁכִּיל maskil*, id est *prudens* est, scilicet antonomastice per excellentiam, hoc est, prudentissimus est. Pro *moderatur* hebraice est *חָשַׁח chosch*, id est prohibet, inhiibet, tum per silentium, quod est « tutum animi asylum, » ait S. Ambrosius, I *Offic.*; tum consequenter per moderatum et circumspectum eloquium: utrumque enim opponitur multiloquio, illudque corrigit. Porro silentium docet praemeditari quid et quomodo dicas, itaque circumspecte et prudenter loqui. Tacens ergo et parce loquens prudentissimus est; *primo*, quia cavet damna lingue exuberantis, quae plurima et maxima sunt. Rursum quia regit linguam, quae ob sui lubricitatem difficillima est gubernatu. Itaque qui eam gubernare novit, mire prudens et perfectus est, uti docet S. Jacobus cap. iii, vers. 2.

*Secundo*, quia silentium est index et effectus animi maturi, collecti, divini; qui enim tacet, secum et cum Deo loquitur. Unde Solon dicebat: « Stultus tacere nequit; quare si tacuerit, sapiens reputabitur. » Et Seneca: « Taciturnitas stulto homini pro sapientia est. » Quocirca S. Bernardus Religiosorum in Occidente Patriarcha, in *Regula* cap. vi, de taciturnitate ita sancit: « Faciamus, ait, quod ait Propheta *Psal. xxxviii*: Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, obmutui et humilitatus sum, et silui a bonis. Hic ostendit Propheta, si a bonis colloquiis interdum propter taciturnitatem debet taceri, quanto magis a malis verbis, propter penam peccati debet cessare. Ergo, quamvis de bonis et sanctis ad edificationem colloquiis, perfectis discipulis propter taciturnitatis gravitatem, rara loquendi concedatur licentia; quia scriptum est: In multiloquio non effugies peccatum. » Et Diadochus in *asceticis De Perfectione*, cap. lxx: « Silentium, ait, mater est sapientissimarum cogitationum. Ut si balnei ostium nimis frequenter aperias, calor abit: sic nimis os loquendo aperiens, devotionem amittit. » Et S. Isidorus: « Linguosus homo imperitus est, sapiens paucis utitur verbis. Brevem sermonem scientia facit (hinc angeli, quia pollent ampla scientia, uno verbo tantum dicunt, quantum homines mille verbis, et Deus omniscius unico verbo omnia dicit). Loqui multum stultitia est. Vox enim insipientis in multiplicatione sermonis. Maeneat igitur in verbo mensura, in sermone statera. »

Francis-  
Cassius  
deus.  
Cass.  
Cass.  
Cass.  
Cass.

*Tertio*, quia prudens loquela cum tota dirigatur ad alios, praeter ceteris actionibus hominis magnam requirit circumspectionem; ideoque qui illam habet, prudentissimus sit oportet. Qui enim orat, sibi et Deo orat: qui jejunit, sibi jejunit: qui dat elemosynam, dat quod lubet: at qui loquitur, debet praevidere quid, ubi, quomodo, quando, coram his illisve loquatur, ut omnes aedificet, neminem ledet vel offendat. Aliter enim coram Prelatis, aliter coram subditis, aliter coram doctis, aliter cum rusticis, aliter cum justis, aliter cum peccatoribus, aliter cum Hispanis, aliter cum Italis, etc., loquendum: quod enim phlegmatico, v. g. prodest, hoc cholericus obest. Vide S. Gregorium, III part. *Pastor.*, ubi fuse docet quomodo admonendi sint elati, pusillanimes, gulosi, iracundi, fervidi, torpidi, etc., quisque pro sua conditione accommodata ad suam indolem. Hinc moderationis linguae symbolum est elephas, qui cum mole animalium sit maximus, idemque prudentissimus, linguam tamen habet perexiguam, atque interitus positam, ut pene oculos fugiat, teste Aristotele, lib. II *De Animal.* cap. vi. Ita generosissimus factus et prudentissimus verbis sunt pauci, sed quae efficaces: « Non credo auguribus, qui aures verbis dilant, » ait Aecius in *Astyanacte*. Salomonem secutus Siraides, *Eccli.* cap. xxviii, 29, graviter monet de cura et custodia linguae adhibenda: « Aurum tuum, ait, et argentum tuum conila, et verbis tuis facito stateram, et frenos ori tuo rectos; et attende, ne forte labaris in lingua, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in mortem. » Ubi plura haec de re dixi.

Exemplum memorabile est in lib. *Sentent.*, sive *Apophtheg. Patrum*, cap. xlv: Anachoreta, inquit, celebris vidit, cum fratres de S. Scriptura rebusque piis loquerentur, angelos se eis miscentes, hilari vultu exultantes. Cum vero ad vana colloquia deflecterent, vidit angelos recedentes cum indignatione, demones vero specie porcorum inter colloquentes se volutantes. Quare circumiens monasteria monebat, dicens: « Cohibete, fratres, ab otiosis verbis linguam, quia malus interioris animae generatur, et non intelligimus quoniam per haec et Domino Deo, et sanctis angelis odibiles sumus. Dicit enim Scriptura divina: Quia in multiloquio non effugies peccatum; haec enim infirmam et vacuum efficiunt mentem atque animam nostram (1). »

20. ARGENTUM ELECTUM, LINGUA JUSTI: COR AUTEM IMPIUM PRO NILO. — Pro *electum* Septuaginta vertunt, *καταρτιστικόν*, id est *ignitum*, igne examinatum, igne defaecatum et purgatum tum a terra et scoria, tum a stanno, plumbo aliisque metal-

lis. Nam, ut ait Plinius, lib. xxxiv, cap. xvi, et eadem vena nascitur stannum, argentum et plumbum. Materia enim igne liquata primo fundit stannum, deinde argentum et plumbum: « Ejus, ait Plinius, qui primus fluit in fornacibus liquor, stannum appellatur; qui secundus, argentum; quod remansit in fornacibus, galena, quae portio est tertia addita vene. Haec rursus conflata dat nigrum plumbum. » Magna enim est metallorum inter se vicinitas, ideoque argentum accedit ad aurum. Unde, ut idem ait lib. xxxiii, iv: « Omni auro inest argentum vario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octava parte, etc. Ubiqueque quinta argenti portio est, electrum vocatur; » quod prisca in pretio fuisse testatur.

Modum vero erudiendi purgandique argenti idem describit lib. xxxiii, cap. vi: « Non nisi in puteis, ait, reperitur, nullaque sui spe nascitur, nullis ut in auro lucetibus scintillis. Terra est alia rufa, alia cineracea. Excoqui non potest, nisi cum plumbo nigro, aut cum vena plumbi, galenam vocant, quae juxta argenti venas plerumque reperitur; et eodem opere argenti descendit pars in plumbum; argentum autem superne innatit ut oleum aquis. Reperitur in omnibus pene provinciis, sed in Hispania laudatissimum. » Addit deinde originem argenti vivi: « Est et lapis in his venis, cujus vomica liquoris aeterni argentum vitum appellatur, venenum rerum omnium. Exstat (exedit) ac perumpit vasa permanens tunc dextra. Omnia ei innatit praeter aurum, id unum ad se trahit. Ideo et optime purgat, ceteras ejus sordes expuens crebro jactatu fitillibus in vasis, ita vitis abjectis, ut et ipsum ab auro discedat. »

Hinc argentum ob sui puritatem in Scriptura significat sapientiam, legem, doctrinam et eloquia Dei, ait S. Augustinus, lib. xvii *De Civit.* v, et S. Gregorius, IV *Moral.* cap. xxviii. Et patet *Psal. xi*: « Eloquia Domini casta, (sicut) argentum igne examinatum, probatum septuplum; » *casta*, id est pura, sancta, irreprensibilia, etc., ut ait ibidem S. Augustinus, « Eloquia Domini casta, sine corruptione simulationis, probata peccatoribus per tribulationes. Purgatum septuplum per timorem Dei, per pietatem, per sanctimoniam, per fortitudinem, per consilium, per intellectum, per sapientiam, » puta per septem dona Spiritus Sancti. Ambrosiaster vero in *Apo.* ii, 18: « Septuplum, ait, propter septuplam purgationem, quae fit per septem virtutes vitis capitalibus contrarias. » Nam superbia purgatur per humilitatem, ira per mansuetudinem, luxuria per castitatem, gula per abstinentiam, invidia per amorem, aecidia per fervorem, avaritia per liberalitatem.

Sensus ergo est, q. d. Lingua justii proloquitur sapientia et sancta, puta eloquia Dei, quae pura et pretiosa sunt instar argenti, quia manant ex sapienti et sancto corde. At cor impiorum, et consequenter ejus lingua et verba, quia insipientia et impura, ideoque nihili aestimantur, et pro ni-

(1) Et Cato, *Dist. lib. I, dist. 8*:

Virtutem primam esse puta compescere linguam; Proximus ille Deo est, qui acit ratione tacere.